

& POMPONIUM miscellionibus quidem seu herciscundis annumerat cum CUIACIO *e)* MASCOVIUS, *d)* & qui hunc, licet non plene, sed ex parte subdubitantes, sequuti sunt HEINECCIUS *e)* & BACHIVS. *f)* Sed sicuti ipsi illi Icti, qui medium ferire volebant, propensiores tamen, ut naturaliter solet, & hodie fieri videmus in iis, qui in philosophorum scholis mediam se dicunt viam tenere, in alterutram partem erant, ita non procul a vero abesse videntur, neque CHRISTIANVS OTTO a BOECKELEN, *g)* qui multum diligentiae in hac perscrutatione veterum sectarum earumque asectarum adhibuit, dum POMPONIUM inter Proculeianos refert, neque EVERHARDVS OTTO, *b)* peritissimus sane, si quis alius, huius rei aestimator, qui PAVLLVM magis putat SABINVM sectatum esse. In quo quidem maxime me confirmant loca, quae de utroque ex libris nostris adduxit MASCOVIUS, quippe quae maximam partem hoc manifeste testantur.

## D

## §. VIII.

*e)* uti notat EVERH. OTTO in *Papiniano c. XI. §. 9. pag. 352.*

*d)* in libro, quem modo nominavimus, ubi de POMPONIO *Cap. 8. §. 4. pag. 129 sqq.* & de PAVLO *ib. §. 8. pag. 141. differuit.*

*e)* in *histor. iur. civ. Rom. & germ. L. I. c. 4. §. 310.* ubi imprimis de POMPONIO hoc docet & §. 341.

ubi de PAVLLO, de quo tamen nil definit.

*f)* in *hist. iurisprud. rom. Lib. III. cap. II. Sect. 5. §. 13. pag. 473.* ubi POMPONII sectam in medio relinquit, & §. 30. *pag. 490.* ubi PAVLLVM inter miscellos refert.

*g)* de *diuersis familiis veterum Ictor. c. 6.*

*b)* ubi mox sub *lit. c.* diximus *pag. 355. item c. 13. §. 9. pag. 469.*